

Barones Laware.

Cisibury.

Cimenshore.

Camoys.

Vxor data & concessa alteri.

Parl. 30. Ed. Primi.

Shoreham.

Brember castle.

Portus Adurni. Notitia Provinciarum.

iam per haredem Domini De-la-VVare, Baronis titulo fuit exornata. Iuxta vallum est militare, agresti aggere incinctum, quo Casarem castra sua vallasse ab incolis creditum: sed Cisibury loci nomen Cissæ opus fuisse planissime loquitur. Qui secundus hujus regni ex Saxonico genere regulus, post Ællam patrem, cum Cimeno fratre, & non parva Saxonum manu hoc littore appulit ad Cimenshore à Cimeno illo dictum, quod nunc nomen amisit, sed prope VVittering fuisse Charta donationis, quam Cedwalla Rex Ecclesiæ Selsienli fecit, planissime convincit. Aliudque vallum ad duo à Cisibury milliaria, quod Chenkbury vocitant, spectatur.

Broodwater inde prope mare adsidet Baronia Dominorum de Camoys, qui ab Edwardi Primi temporibus ad avorum usque memoriam floruerunt, cum per filias hæreditas ad Lewkenoros, & Radmildos devenit. Ex hac familia, exemplo illo & nostro ævo inaudito, Ioannes de Camois filius Domini Radulphi de Camois uxorem suam Margaretam filiam & hæredem Ioannis de Gaidesden Willelmo Painell Militi spontanea voluntate (ex ipsis tabulis Parlamentariis loquor) dedit & demisit, eademque dedit, concessit, relaxavit, & quæta clamavit omnia bona & catalla quæ ipsa habet, vel de cætero habere possit, & etiam quicquid erat sui de prædicta Margareta bonis & catallis cum suis pertinentiis. Ita quod nec ipse, nec aliquis alius nomine suo in prædicta Margareta, in bonis & catallis ipsius Margareta de cætero exigere, vel vendicare poterit, nec deberet in perpetuum. Hoc est, quod veteres verbo dixerunt, ut omnia sua secum haberet. Ex qua concessione cum illa dotem peteret in Manerio de Torpull, quod fuerat Ioannis de Camois primi mariti, lis mota est memorabilis; sed in qua illa causa cecidit, sententiaque prolata, quod non debuit inde dotari. Hæc sane indignanter commemoro, sed video non frustra fuisse quod Gregorius PP. olim Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi scripserit, se audivisse fuisse inter Scotos qui uxorem non solum deseruerint, sed etiam vendiderint, cum in Anglia dederint, & demiserint.

Inferius in littore apparet Shoreham, olim Scopneham, qui paulatim in viculum desit, & hodie Olde Shoreham dicitur, incrementumque præbuit ejusdem cognominis alteri oppido, cujus etiam maxima pars oppressa & mari æquata disparuit, portusque commoditas ex aggestis ad ostium fluminis arenis omnino ablata: cum superioribus seculis ad Brember usque, quæ à mari remotior est, naves plenis velis admittere solet. Hoc castrum fuit olim Breosorum, Guilielmo enim de Breosa donavit Rex Guilielmus Primus, à quo Breosa illi sunt oriundi, qui de Gower & Brechinia Domini; & ab illis etiam in hoc agro, Leicestrenfque equestres familiae Shirleorum. Sed nunc pro castro, nihil est nisi rudetum, sub quo statis diebus frequentissimum forum Stening subjacet, quod Ælfridi testamento, nisi me fallo, Steningham appellatur.

Antiquus etiam ille PORTVS ADVRNI ut videtur, ab hoc ostio vix tribus milliariis abest, ubi cum Saxones primo mare nostrum infestum haberent, Numerus Exploratorum sub Romanis Imperat. stationem habuit, sed agglomeratis glareæ molibus nunc est obstructus.


Hunc enim fuisse Ederington modicum viculum quem Ælfredus ille filio suo juniori concessit, & nomen quasi integrum, & casulæ adjunctæ nunc Portslade dictæ, ist est, Ad portam via, quodammodo persuadet; ut taceam quam facile hic excensionem facerent, cum littus sit apertum & planum. Eamque ob causam nostri, regnante Henrico VIII, hic præcipue Gallorum triremes præstolabantur, dum littori nostro imminerent, & ad Brightbelmsted, quæ majoribus nostris Brightbelme-tun, (proxima ea statio est) unum & alterum tuguriolum ex improvviso succenderent.

Post pauca hinc milliaria in mare evolvitur flumen anonymon è Foresta S. Leonardi effusum prope Slaugham habitationem Covertorum, qui Henrici III temporibus in hoc tractu equestri dignitate floruerunt.

Hinc paulo remotius à mare Lewes editiori fitu adsidet, à pascuis quæ Saxones Lessa vocarunt, forsitan nominatum, frequentia & amplitudine sua inter primaria hujus agri oppida. Regnante Edwardo Confessore, Reddebat vi libras, & quatuor Solidos de gablo & Theloneo. Ibi Rex habebat cxxvii Burgenses. Eorum consuetudo erat, si Rex ad mare sine se mittere suos voluisset, de omnibus, cujuscunque terræ fuissent, colligebantur xx solidi, & hos habebant qui in navibus arma custodiebant. Qui in Burgo vendit equum dat præposito nummum, & qui emit, alterum, de bove obolum, de homine iiii denarios quocunque loco emat infra Rapam. Sanguinem fundens emendat pro vii solidis, adulterium vel raptum faciens viii sol. & iiii denariis, & fœmina tantidem. Rex habet hominem adulterum, Archiepiscopus fœminam. Cum moneta renovatur dat xx sol. unusquisque monetarius. De his omnibus erant due partes Regis, & tertia Comitum. Guil. de VVarenna Surreiæ Comes primus hic castrum posuit, sub quo Prioratum S. Pancratio sacrauit, & monachis Cluniacensibus replevit, Ob sanctitatem, religionem, & charitatem quam in Cluniaco Burgundia monasterio invenit (ex ipso foundationis autographo loquor) dum peregre religionis ergo cum uxore profectus ibi diverteret. Sed hoc jam in ædes Comitum Dorsettiæ est conversum. Sex tamen in oppido supersunt ecclesiæ, inter quas haud procul à castro subest ecclesiola desolata, & vepribus obfita, in cujus parietibus arcuato opere inscri-

Lewes.

Domesday Booke.



buntur rudes versiculi obsoleto caractere, qui innuunt Magnum quendam è Danorum regio sanguine oriundum, qui solitariam vitam amplexus, ibi

Magni Dani monumentum.